

Heinrich Schuckmann

**Heinricus Schuckman, I. U. Doctor, Codicis Professor & Iuridicae Facultatis p. t.
Decanus. Ad Inauguralem Disputationem die 18. currentis Mensis Maii ...
officiose invitat**

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731866630>

Druck Freier  Zugang



Schulversuchsammlung
und Schulbücher
+ Programm

^{Kert}
Schuckmann - Veruhagen.
N. U. Jhr. 1643.

12

HEINRICUS SCHUCKMAN,

J. U. Doctor, Codicis Professor &
Juridicæ Facultatis p. t. Decanus.

AD

78

Inauguralem Disputationem
die 18. currentis Mensis Maij, in
Auditorio Majori, publicè, cum
DEO, habendam.

*Magnificum Dn. RECTOREM, Dn. Professores,
Cæterosq. Omnium Ordinum Cives Academicos, suo &
Amplissima Facultatis Juridicæ nomine, sedulo
ac officioso invitat.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XLIII.


1643

HELMER
G. SCHUCKMAN
1811

Inaugural Dissertation
über die
Anatomie
des
Menschen
von
H. Schuckman
1811



ROSTOCK
Typ. Nicolai Kühn sculp. Typog.
Anno M. DC. XXI



Summa Rerum publicarum
felicitas in hoc est posita, ut bene
sit cum omnibus in universum,
tum præcipuè Ecclesijs, Scholis,
Orphanis, Viduis, & cæteris in hoc ordine per-
sonis, quæ, quod naturali ut plurimum patro-
cinio sunt destitutæ, communi nomine *Mise-
rabiles* dicuntur: his salvis salva sunt reliqua; con-
trà verò sub oppressione jugo languentibus,
& gemitus ac suspiria sua ducentibus, non
mirum ad eò est, quod frustra fiant omnia, quæ
alioquin vel pro conservando vel instaurando
regimine geruntur. Habent enim hujusmo-
di personæ, cum parum subsidij aliundè suc-
currat, ex Jure tam divino quàm humano, tan-
ta & tam sanctè sibi constituta propugnacula,
ut transilire aut violare illa, summum sit nefas
& cum extremâ internecone conjunctum. Si
aliud non daretur, quo terreri possent homi-
num pectora, qui vel planè abijciunt mise-
rabilium curam, vel segniùs & negligentius
agunt, quàm par est, vel ipsimet etiam illatâ
A 2 quâ-

quâcunq; injuriâ lachrymas innocentibus extorquent; unicum hoc incutiendo terrori quàm maximè sufficeret, quod orphanorum Patrem, Viduarum judicem, miserorum defenso- rem ipse Deus se profiteretur. Dolendum verò & graviter ferendum, exulceratissimo hoc rerum statu, nihil minùs in rebus humanis curari, nihil citiùs ac faciliùs posthaberi, quàm eorum salutem & incolumitatem, quos ceu humiles & abjectos benignissimus Deus in suam tutelam adscribere non dedignatur. Longè rectior erat Majoribus nostris sententia, qui nihil prius nihil antiquius ducebant, quàm ut non tantum privatorum tutelis, sed & publicis Ecclesiarum & Rerumpublicarum ararijs, Orphanotrophijs, Xenodochijs, Ptochotrophijs, & cæteris, in quibus de necessariâ vitæ sustentatione, miserabilibus personis prospectû fuit, illæsa ac intemerata constaret religio. Statue- bant enim & certò credebant, quod Deo & re- bus divinis semel dicatum ac consecratum esset, non posse illud citrà piaculare scelus & enor- mem impietatem ad profanos usus transfundi, nedum in privata commoda sinè flagitio con- verti, aut aliâ lege alioq; modo dispensari, præ- ter eum, quem pietatis & æquitatis ratio cujus-
cunq;

cunq; conscientia dictaret. Patet illud ex per-
vetustis literarū monumentis & diplomatibus,
in quibus, qui olim ad Dei gloriam, in Eccle-
siarum, orphanorum, viduarum, egenorum
conservationem, vitæ subsidia de suo contule-
runt, Tutorum ac Curatorum fidem eâ severi-
tate obtestantur, totq; diris & execrationibus
omnem perfidiam abominantur, ut vix sinè
singulari animorum commotione talia legi
possint. Tantus erat fervor, tantusq; zelus
venerandæ antiquitati circà pietatis ac justitiæ
exercitium; à quo quantis parasangis hodi-
erno tempore sit discessum, res ipsa loqui-
tur: Eò enim ventum est hodiè, ut querelæ &
lamentationes, ad quas prioribus seculis quasi
attoniti obstupuissent, de publicis privatisq;
Tutelis sæpiùs contrà Juris ac justitiæ dictamen
administratis, passim audiantur. Dolent Ec-
clesiæ de bonis amissis, quæ ex piâ intentione
ad sacros usus destinata fuerunt; dolent viduæ,
peregrini, egeni, orphani, de subtractis vitæ
mediis, patrimoniis interversis, hereditatibus
expilatis; dolent aliæ ærumnabiles personæ,
quod justas adversus potentiorum injuriam
vindicias sibi negari videant. Quæ cum ita
sint, nullum profectò est dubium, quin bellica-

rum calamitatum , quibus Germania conficitur, hæc inter alias potissima sit causa, quod ultimo adeoq; abjectissimo loco habeantur, quorum in Rebus publicis prima & maxima cura esse debebat. Multi de medijs sunt solliciti, quibus opem ferant laboranti Reipublicæ; sed frustra quærentur media , nisi ab eo fiat initium, undè originem ducunt oppressorum lacrymæ: Horum enim lachrymis quandiu ad vindictam vocatur supremi Numinis justitia; nec spes est recuperandæ salutis, nec ullum pro redintegrandâ communi felicitate remedium. Huc ergò omnia consilia afferri, omnesq; revocari actiones oportet, ut Ecclesiis, Scholis, pupillis pauperibus, & si qui prætereà commiseratione egent, salvis, pacatis, & quantum fieri potest, sinè querelâ esse liceat. Præstabit hoc ipsum, qui DEUM reveretur, pius ac fidelis Magistratus, si certis stasisq; temporibus exactas, & quæ continuâ minusq; interruptâ serie se invicem excipiant, rationes sibi reddi ab iis faciat, quorum fidei & dexteritati commissa sunt publica hujusmodi Tutelarum munera: ita enim fiet, ut & legitimis terminis coerceatur effrenata administratorum, Curatorum & Tutorum quorundam licentia, ne ultrâ quàm fas est impunè prosiliat, & miserabilium

lium bona (siquidem interest Reipublicæ) sacra
ta tecta ac inviolata servantur. Suadet hanc
Vigilantiam ipsa pietatis ac humanitatis ratio,
quæ, prout omnium utilitati se attemperat, sic
eorum cum primis salutem quærit, qui publi-
co subsidio quàm maximè sunt indigi. Jubet
æterni DEI voluntas, quæ, quòd ex orphanis,
viduis, peregrinis, & aliis, qui eâdem sorte &
iisdem quoq; privilegiis fruuntur, neminem
velit immerentem affligi; Supremum illorum
Tutorem ac Curatorem in terris Magistratum
ordinavit. Imperant Leges nostræ, & saluta-
res S. Imperij Constitutiones, quæ nullibi ferè
majorem urgent rigorem & arctiora vincula
nectunt, quàm in eâ, quæ de *Tutelis* agit, non
minùs necessariâ, quàm utilissimâ Juris materiâ.
Prolixius eandem proponere, & pluribus hoc
loco enarrare, nostri non est instituti. Fecit
hoc ipsum Præstantissimus ac Literatissimus
Vir-Juvenis D. N. CASPAR-ERARD
VARNHAGEN Iserlohnio-Westphal-
lus, L. L. Candidatus, qui hanc de TUTELIS
& TUTORIBUS doctrinam, Inaugurali suâ
Disputatione exhibitam, solenni eruditorum
examine submittere constituit; editurus hâc ra-
tione publicum specimen eruditionis & Lega-
lis

lis scientiæ, quam indefesso studio ac labore sibi comparatam, nuper Facultati nostræ in riguroso Examine privatim probavit, eoq; nomine pro cõsequendis in utroq; Jure supremis honoribus, disputandi licentiam impetravit. Disputationis actui dictus est Volente DEO dies 18. currentis mensis Maij. Ad quem honorificâ ac solenni præsentia pro more laudabiliter apud nos recepto, exornandum, Magnificû DN. RECTOREM, Viros Reverendos, Consultissimos, Experientissimos, Clarissimos DNN: PROFESSORES, Omnium Facultatum Doctores, Verbi divini Ministros, Linguarum & artium Magistros, Nobilissimam studiosæ Juventutis concionem, aliosq; Literatos & literatorum Fautores, eo quo par est, studio, officiosè invitamus. P. P. RostochI, Sub sigillo

Facultatis nostræ 7. Maij,

Anno 1643.



